



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt IV. Fames quotplex sit, & quàm varia? quamq[ue] ex diuina prouidenta ad multa bonæ vtilis ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent? Immò audiuimus, inclusos, alioque cibo destitutos, prærodisse sibimetipsis digitos, ut dixi, manus absumpsisse, & brachia eò usque manducasse, quò dentes poterant attingere; quoque os non potuit peruenire populando, saltem adhuc appetitum aspirasse, contempto omni cruciatu, quem morsus faciebat. Nonnè hæc plus est, quam Erisichthonia fames?

### C A P V T I V.

Fames quotuplex sit, & quam varia? quamq; ex diuina prouidentia ad multa bona utilis?

**H**æc ita esse, negari nequit, verùm vt à malo bonum secernamus, ponendum est, duplicitis esse generis famem, vnam moderatam, immodicam alteram; illa utilis, hæc naturæ aduersa est. Illa non est morbus, et si ratione fragilitatis humanæ ac remedij rectè cum morbo comparetur; insana autem fames plus est quam morbus. Moderata fames, quæ est concupiscentia calidi & sicci, usque adeò morbus non est, vt potius contrarium, hoc est, inappetentia cibi sit morbus; ipsa autem cibi cupiditas naturæ indita indicium sanitatis, & fulcrum existat. Miser est, qui cùm nullum habeat alimentorum defectum, habet tamen defectum appetitus edendi, sine quo nulla esca sapit, sicut nec sine siti potio. Ut ergo condimentum cibi non inter mala, ita neque eiusdem cibi appetitum inter mala, sed inter bona, & naturæ conuenientia debemus numerare. Philosophum Poëticè loquentem audiamus:

Illud item non est mirandum, corporis ipsa  
Quod natura cibum quarit cuiusq; animantis.  
Quippe etenim fluere atq; recedere corpora rebus  
Multæ modis multis docui, sed plurima debent  
Ex animalibus ijs, qua sunt exercita motu:  
Multaq; per sudorem ex alto preffa feruntur:  
Multæ per os exhalantur, quom languida anhelant.  
His igitur rebus rarescit corpus, & omnis  
Subruitur natura, dolor quam consequitur rem.

Lucret. lib. 4<sup>o</sup>  
de ror. nat.

Propterea

*Cap. IV. Quotuplex sit fames, & ad quid utilis?*  
*Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus,*  
*Et recreet vires interdatus, atq; parentem*  
*Per membra ac venas, ut amorem obduret edendi.*  
*Humor item discedit in omnia, qua loca cumq;*  
*Poscunt humorem: glomerataq; multa vaporis*  
*Corpora, que stomacho præbent incendia nostro,*  
*Dissipat adueniens liquor, ac restinguat, ut ignem,*  
*Vrere ne posse calor amplius aridus artus.*  
*Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro*  
*Abluitur, sic expletur jejuna cupido.*

Atrophia autem species est mala. Nam, ut Celsus scribit, *Atrophia* est, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedenti- bus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur; &, nisi oscurritur, tollit. Hinc Varro apud Gellium, agens de numero septenario, ait: *Nec non id etiam est ad vim facultatemq; eius numeri angendas, quod quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem appetant.* Quemadmodum igitur omne nimium in vitium vergit, & verè quiuis excessus noxius est; ita & fames, si exorbitet, inter morbos meritò potest compu- tari, ut iam non solum *fames canina*, aut *Inpina*, sed etiam *Me- lia*, aut *Saguntina* appelletur. Est enim molestus interpellator venter, si ei debitum vestigal non persoluatur; &, stomacho ara- neante, incipiunt omnia membra languere, tandemque etiam homo famelicus in rabiem agitur. De utraque fame à nobis est agendum, quo fructu, quāue pœnā & æquitate diuinā, inter mortales dominetur.

## II.

Illud autem, ut quis omni ciborum appetitu careat, atque omnino non famescat, vel ex morbo potest contingere, vel ex prodigo diuino, vel è diabolica deceptione, vel etiam ex pœna Dei, quemadmodum Laziū refert, puellam quamdam, Anno M. CCC. XLVIII. in Austria, tempore magnæ caristiae, cùm à matre panem postulasset, & illa forte impatiens doloris, famem decennem imprecata fuisset, decennio omni cibo abstinuisse, raro admodum aquæ potu se reficientem. Quod miraculo in pœnam euenit. Excipio igitur hiac miracula, quæ neq; morbus sunt, neq; semper malum, sed quoddam beneficium Numinis si- gularis.

Gell. lib. 3.  
Noct. c. 10.

Thucyd.lib.  
2. hist.

Laziū in Ge-  
nesiologiæ  
Austriacæ  
commentar.  
lib. 2.

gulare. Quale fuit illud, quando ingressus Moyses medium nebula, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, sine cibo & potu. Tale fuit & Eliæ, qui cum surrexisset, comedit & bibit ( ea, quæ Angelus attulerat ) & ambulauit in foresta, Reg. 19. 8. titudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Hi figura fuere Christi, qui & ipse jejunauit quadraginta diebus, & Matth. 4. 2. quadraginta noctibus. D. Augustinus, cum Casulano rescriberet, affirmauit, temporibus suis, quemdam quadraginta diebus sine cibo vixisse. Alium quoq; Petrarcha scribit, Venerijs idem fecisse, atq; à multis eius rei experimentum fuisse factum. Memorabile, quod in recentiore est historia obseruatum, fuisse quemdam, qui bienio continuo nil prorsum vel comedenter, vel biberit. Quæ probabilitiora faciunt illa ab Alberto Magno in scriptis relicta, fuisse feminam Coloniæ in Germania sub Friderico II. quæ sine cibo dies quandoq; viginti transmiserit, sæpe vero & triginta. Virum quoque melancholicum se vidisse testatur, qui sine cibo septem perseverarit hebdomadas, alternis tantum diebus aquam exorbitentem. Vilam quoq; in Hispania puellam grauissimi producunt authores, quæ comedenter nihil, ac haustu tantum aquæ vitam confoueret, annumque iam ageret secundum ac vigesimum. Stygiæ hæc fascinatione, ac furtiva ciborum clam subministratorum celeritate; an diuino miraculo contigerint, cum authores taceant, non est meum, vel in odium, vel in fauorem cuiusquam decernere.

Complura huiusmodi contigisse certum est, de quibus certum non est, quo authore contigerint. Iniquum esset præstigiarum reos facere innocentes, temerarium ex mendacijs miracula proclaimare. Itaque in ambiguo & illa relinquendo, quæ à Gerardo Bucoldiano narrantur, de puella quadam Margarita, quæ apud Spirenses, in villa Rhodo dicta, An. Christi. M. D. XXXIX. patre nata Suffrido Weis, & matre Barbara, cum iam ferè decimum ætatis suæ annum attigisset, capitis, & ventris dolore leuiore ad festum D. Michaëlis est correpta. Tum cibum magis magisque fastidire cœpit. Ad Nativitatem usque Dominicam, cum adhuc comedisset, nullum planè post id tempus, aut cibum assumpsit, aut per aluum excrementum egescit: à potu tamen

Exod. 14. 18.

3. Reg. 19. 8.

Fulgosus  
lib. 1. c. 2.Albert. Magni  
lib. 7. de hist.  
animal,Cœl. lib. 13.  
cap. 24.

## III.

E non

non abhorrebat animus. Post Pascha etiam potum fastidire cœpit, adeò, vt post Pentecostes festa, extuofissimo licet anni tempore, ne biberit quidem, aut vrinam miserit. Ferdinandus Röm. rex, ne quid fraudis subesset, per Medicos suos, rem explorari curauit. Sed non est ad affirmandum satis, quod satis est ad nondamnamandum. Aliud enim est dicere, fraudem non esse, & aliud, fraudem non esse deprehensam.

## IV.

Fulgofus. li. 3.  
cap. 2.  
AEn Sylu.  
lib. 2. Com.  
in Panorm.

Tom. 3. de  
iudicij, quæ  
Deus in hoc  
mundo exer-  
cit cap. 31.  
§. 6.

## V.

Lucian. in  
Philopatr.  
D. Greg. Na-  
zianzen. ad  
Helenium  
de Monachis.

Illud constat, multos, simulatione sanctitatis, compertos esse, qui à cibo omni viderentur abstinere. Eugenio IV. Pontifice, vt testatur Aeneas Sylvius, Gallus quidam nomine Iacobus, in aula Romana amanuensis: graui valerudine affectus, cùm in patriam redijisset, Hierosolymitanam peregrinationem vovit. In de Romanum Nicolao V. Pont. reuersus, nec bibere, nec esse vnumquam inuentus est, jureque jurando affirmauit, se iam biennum ita vixisse, neque subito, sed paulatim in hanc consuetudinem descendisse. Eum se familiariter nouisse Poggios scribit. Cùm dies Romæ multos fuisse, & admirationem sui turbæ fecisset, quasi Sanctus, & Deo charus; postremò captus, virgisque cæsus, in exilium est actus. Ita splendor in fumum desijt. Luculentum de Antonio Picente, simili hypocrita, alibi dedi. De huiusmodi inedia, quæ est sine fame, sed non sine fraude, hic non est agendi locus. Quamquam hæc ipsa cum summa malitia coniuncta, quo- uis malo peior est.

Neque de illa incredibili sanctorum virorum abstinentia disputare meas est, qui vel cum fame & dolore, vel cum prodigio diu se se ab orati cibo continuerunt. Virtutis ea res fuit, & grandis meriti, aut etiam miraculi. Et sanè pænè fidem superant, quæ de longis multorum dierum, hebdomadum, mensium, immò annorum jejunijs Climachus, Rosweydis, aliquique memorant eorū, qui eremiticas vitam, inter feras & antra agitauerūt. Enimuerūt Lucianus, osor Christianorum, testatur, Christianos sic solitos esse seruare jejinium, vt decem soles sine cibo transigerent. D. Greg. Nazianzenus, de habitantibus Ponticam solitudinem monachis sui temporis scribit, ex illis complures fuisse, qui totos vi- ginti dies, totidemque noctes à cibo abstinenter, dimidia ex parte Christi jejinium imitantes, ex eisque vnum sui gregis ouem fuisse

fuisse testatur. D. Augustinus ait, nonnullos, suo tempore, reportos esse, qui ultra hebdomadam perpetuum seruassent jejuniū, eosque se novisse; & addit: *Ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quemdā à fratribus fide dignis nobis asseueratum est.* Quod humanis viribus fieri non posuit. Jejunij amatores, Deus adjuvit. Ad miracula quoque pertinent illa, quæ à Sigeberto alijsq; Sigebert. in referuntur, ut de puella duodenni, quæ in Tullensi territorio, chron. An. villa Commerciaco, post sacram communionem, in Paschate, à sacerdote susceptam, primum per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & post ad communem hominum vitam rediit. Anno Domini 823, quanuis alij ad Fulgos. lib. 3, annum Domini 1322, referant. Martinus affirmat eam studio cap. 6. jejunij ita abstinuisse, & nihilominus tamen SS. Escharisflia frequenter usam esse. Quod etiā creditur de Palumba Interamnensi, Idem lib. 1, cap. 2, quæ Perusia annos nata viginti, sumpta sacra hostia, nullo alio cibo gustato, septem annos vixit. Id quod Innocentius VIII, Pontifex, re quaestita, diligenter inspexit. Neque enim omnia mirabilia sunt fabulis ascribenda. Alioqui nec Moysen, nec Eliam credemus quadraginta dies & quadraginta noctes jejunos permansisse. Et tempore, & loco vicinū nobis est, quod de sanctissimo viro Nicolao Heluetio Vnderwaldensi, pluribus testibus, est affirmatum. Is anno salutis 1460, post susceptos ex coniuge quinq; liberos, cum haud longè à pago solitariam ageret vitam, peracto 2. cap. 6. quintodecimo anno, sine ullo potu ciboque decepsit: veraque inventa fuerunt, quæ prædicebat futura: vitaque prorsus austera, fidem faciebat, nihil ab eo de cibi ac potus abstinentia fingi. Et tamen Constantiensis Episcopus, in cuius diœcesi agebat, profectus ad eum ipsum locum, ubi Nicolaus erat, diligenter rem perquisivit, inventaque palam litteris mandauit. Qui, ut ea de rectior fieret, sub obedientiae imperio, recusantem parum cibi sumere coegerit: ob quam rem triduum grauter stomachi dolore laborauit: id quod ipse vereri se, ante monuerat. Nec vero Episcopo illi tantum, verum multis quoq; Principibus Germanicis, Gallicis, atque Italis, qui eò profecti sunt, res hæc exploratae fuit. *Nos quoq; cum his locuti, qui viderunt, ac sermones una miscuerunt, ait Fulgosus, rem extra ambiguum ponimus: presertim quod*

E 2 de his

36 Cap. IV. Quotuplex sit fames, & ad quid utilis?  
de hac cibi abstinentia diligentius quoscum est, de qua ipse parcè loque-  
batur, remq; non miraculo, sed natura tribuerat. At fuerat planè  
miraculo tribuenda, & virtuti SS. Eucharistiae, quam identidem  
accipiebat. Quod & alijs legimus sèpius contigisse, & in figura  
SS. Eucharistiae Eliæ contigit, qui gustato subcinericio pane, am-  
bulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta  
noctibus, usq; ad montem Dei Horeb. E quibus miraculis intelligi-  
mus, beatos in cælo itidem sola Dei visione pascendos & sa-  
tiandos.

## VI.

Miraculis autem hæc in hominibus probatæ fidei meritò  
ascribuntur, naturalis enim calor, velut ignis, pabulum exigit,  
sine quo extingui eum necesse est. Quare fabulis, vel præstigijs,  
vel monstris diuinitus aliquid portendentibus tribuendum est,  
quod Olympiodorus Platonicus Aristotelis interpres scripsit,  
Aristotelis, qui rem vidit, testimonio, fuisse hominem, qui donec  
vixit, neque manducavit vñquam, neque dormiuit. Ceterū in  
sole manendo alimétum accepit. Quibus persimilia, in Phædone,  
Plato conscribit. Facilius credi posset, quosdam solo odore pasci,  
cùm odor è floribus, fructibusque non expiret, sine halitu corpo-  
lento, qui potest cedere in alimentum. Ita recenset Plinius, ad  
extremos fines India, ab Oriente, circa fontem Gangis, Astomorum  
gentem sine ore, corpore toto hirtam vestiri frondium lanugine, halitu  
tantum viventem, & odore quem naribus trahant. Nullum illis ci-  
bum, nullumq; potum: tantum radicum, florumq; varios odores, &  
sylvestrum malorum, que secum portant, longiore itinere, ne desit ol-  
factus: grauiore paulò odore, hand difficulter exanimari. Horum  
Strabo lib 15, etiam Strabo ex Onesicrito facit mentionem, aliisque. Quæ, si  
Cæl. lib 24.  
c. 21. Antiq.  
Leet.  
Prou. 8, 30. vera sunt, ut nobis prodigiosa videntur, ita diuinæ arti sapien-  
tiæque sunt ascribenda, quæ ludit in orbe terrarum. Certiora sunt,  
quæ de manna; de fonte ex asini maxilla; de coruis Eliæ; de cen-  
tum hominibus ab Eliseo viginti panibus pastis; de Daniele in-  
laeu & Habacuc illi pulmentum ferente; de ipso Christo in soli-  
tudine bis multa hominum millia, iam quinq;, iam septem pani-  
bus reficiente; quin & de Pauli Primi eremita, & S. Erasmi Epi-  
scopi coruis; deque anibus S. Blasij; de cerua Aegidi; de apibus S.  
Mennæ, deque alijs diuinitus mirabiliter sustentatis memoran-  
tur,

eur, de quibus in primo tomo, de Iudicijs, quæ Dei in hoc mundo exercet, prolixius fecimus mentionem. Quia spectant ad diuinæ prouidentiæ bonitatem. Quemadmodum & illa, quæ de Cyro, de Romulo, & Remo, de Habide, Hierone, Camilla, Atalanta, Telepho, Pindaro, Felia, ac similibus, in profana historia, narrantur.

Sed, ut dixi, hos omittamus, & videamus, cur Deus naturalem illam famem hominibus voluerit insertam? Facileque eius consilium appetat: quia non tantum corpori nostro necessarium est alimentum, verum etiam, quia in eo querendo non est exiguis labor: multi sanè eum laborem omitterent, negligenterque curatam cibi, nisi ad eum fame extimularentur. Præcipua ferè plebeiorum cura est, ut stomacho & ventri satis faciant, ut liberos & coniuges alant. Quod sanè cum labore faciunt, sed hæc est pars poenæ nostræ: *In sudore vultus tui, vesceris pane.* Quod si dictiores nonnulli haud faciunt, aliunde castigantur. Nam vel ambitione, vel ipsa sua saturitate castigantur. Siquidem, quia fame, hoc est, condimento cibi carent, numquam bene coenant, quod de Apicio, similibusque Sardanapalis & Eumolpis dictum est. Hi enim, quod non comedenter, quia esuriebant, sed ne esurirent, numquam cum voluptate comedenterunt; quemadmodum Stratonicus, apud Athenæum, qui ad quietem iturus, assidue jubebat puerum sibi infundere vinum: *Non quod si iam, inquietus, sed ne sitiam.* Malè isti & famem & sitim oderunt, & in suum detrimentum. Effecerunt enim, ut numquam illis, vel cibus, vel potus saperet. Siquidem sat certò, Antiphanes dicebat, *famem & Stobæ, serm; sitim omnia dulcia reddere, præter seipsam.* Hoc ergo commodum solatiumque habent, quos vel paupertas cogit famere; hoc supplicium diuites, si sint intemperantes.

S Chrysostomum de hoc argumento pulcherrime differenter audiamus. *Vnum est*, inquit, *quo diuitiae paupertatem superare* S Chrys.  
hom. 2, ad popi  
*videntur quotidianis scilicet affluere delicis, & multa in coniunctis re-*  
*pleri voluptate. Hoc tamen in pauperum mensa potius contingit, qui*  
*maiori, quam dñitis voluptate fruuntur; & ne miremini dictum, ex*  
*ipsa ratione demonstratione manifestum fiet. Nostis quippe omnes, &*  
*hoc consumiri, quod voluptatem in coniunctis non ferunt natura,*

38 Cap. II. Quotuplex sit fames, & ad quid utilis?

sed conuinantium dispositio facere consuevit, ut cum fame quis mensans attingit, omni obsonio & condimento, & innumeris ciborum illecebris, jucundiores escam gustabit, et si omnium vilissima sit; necessitatem vero & esuriem praeveniens (quod dimites faciunt) etiam si placentas innuerit appositas, non sentiet voluptatem, appetitus scilicet non excitato;

**Prov. 27.7.** & in hoc testes quidem vos omnes voco. Audiamus autem Scripturam,

**Anima** (inquit) saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Et certe quid dulcior fauo, & melle? Sed non jucundum (ait) non esurienti; quid vero amaris injucundius? Sed dulcia pauperi sunt: pauperes autem cum necessitate & esurie ad cibum veniunt, diuites vero eam non expectant. Vnde legitimam & sinceram voluptatem non capiunt, neque in cibo tantum hoc accedit, sed etiam in potu: sicut enim illuc esuriens supra escarum naturam, voluptatem inducit, sic & hic sitis jucundissimum potum facere consuevit, et si pura sit aqua qua bibatur, & hoc ipsum Prophet a dicebat: Et ex petra melle saturauit eos. Atqui hoc nusquam in Scriptura lectum est, quod eduxerit Moyses mel de petra, sed tantum aquam; quid igitur hoc? neque enim Scriptura mentitur: postquam enim sitientes, & indigentia defatigati in aquas inciderunt, ex porta voluptatem afferere volens, mel aquam appellauit, non tamquam mutata in mel natura, sed bibentium dispositione fluenta illa melle jucundiora faciente. Vides quomodo sitiens potum suauem reddere consuevit? Multi ergo pauperes fatigati laboribus, siti ardentes, cum dicta voluptate talia tribuere fluenta, diuites vero vinum suave, & odorem, & omnem virtutem habens, quae in vino optari posset, haurientes, non eisdem sensere delectationem. Hoc etiam in somno fieri video, non enim molle stratum, neque deargentatus lectus, neque quies per domum facta, somnum dulcem & proclivum facere solet, sicut laborari & lassari, & vehementer somni indigentes reclinari, & hoc testatur rerum experientia, & ante ipsam experientiam scripturarum sententia: Delitius enim enutritus Salomon idem demonstrare volens dicebat: Incundus somnus seruo, siue parum, siue multum comedat. Cur igitur addit, siue parum, siue multum comedat? quia ambo hac vigiliam inducere solent, Indigentia, & Crapula, illa quidem spiritum arefaciens, & palpebras corneas reddens, nec claudi permittens, hac vero anhelitum augens & elidens, & multos inferens dolores: sed tanta est laborum medicina. Quod si etiam ambo adsint, seruus dormire potest;

**Psal. 80.7.**

**Eeccl. 5.23.**

potest; postquam enim servi tota die circumcurrent dominis suis ministrantes, & ne minimum quidem respirantes, sufficientem laborum & laetitudinum restitutionem capiunt in dormiendo voluptatem. Et hoc Dei benignitate factum est, ut non auro, & argento, sed labore, & necessitate, & omni disciplina emi valeant voluptates. Non sic diuites: sed stratis molibus jacentes, sepe totam noctem insomnem ducunt, & multa somniantes tali non fruuntur voluptate. Cum ergo maiori cum voluptate pauper & comedat, & bibat, & dormiat, quare diuitia hic priuata supra ipsam paupertatem prarogatinam habebunt? Ita Chrysostomus, qui addit, diuites non solum tantis non frui voluptibus, verum etiam plures maioresque sentire infirmitates. Diuitibus in sua jucunditate, ait, multa irruunt aegritudines: pauperes autem a medicorum manibus immunes sunt: Si vero nonnamquam imbecillitatem incident, brevi seipso instaurant, mollitie omni liberi, & corpora habentes robusta. Magna quidem possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus; thesaurus, qui nequit auferri, inculpabilis possessio; diuersorum ab insidijs tutum, & fons purissima sanitatis.

Sanitatis pariter ac voluptatis minus habere opulentos, alio loco, in hunc modum ostendit, à comeditionibus, & conuinjjs, & mensarū affluentia, in his enim, ait, diuitiarum magnificentia predicatur. Sed conferamus mensam diuitis, & mediocris; & discutimus, qui puram utriusque mensa capiant voluptatem. Illi quidem totā die recumbunt, & cænas prandijs jungunt, & ventris distensionerum puntur, & ciborum oppressione premuntur, & vini inundatione, veluti naufragio, anima necatur; ubi neq; oculus, neq; lingua, neq; pes proprijs deseruit officij, sed omnia membra corporis vini vinculis jacent vincita, granius quam catenis, ubi sopor eis non datur ad quietem, neque ad salutem cedit, sed exterriti somnijs insipientibus, & furentibus deterriores fiunt, & risus, & spectaculum omnibus etiam famulis fiunt, nihil sentiunt, sed ab alijs de accubitis portantur ad lectos. Numquid igitur in his conuinjjs maior voluptas est, an in illis, ubi cibis potujs tantus est, quantus famem depellat ac fitim? Hunc vita modum natura docuit, illum vero libidinis corruptela, in hoc deniq; sanitas adeat, ratio permanet, & honestas cum sobrietate perdurat, nec grauatum corpus & oppressum è mensa leuat, sed potius adjutum, & viribus auctum, & alacritate subnixum surgit incolme. Virorumq; igitur corpora & animos

## IX.

S Chrysost.  
hom quod  
nemo iudicatur,  
nisi a te  
ipso.

40 Cap. IV. Quotuplex sit fames, & ad quid utilis?

animos considera, & innuenies illa robusta magis & valida, ac succi plena, qua mediocribus & simplicibus utuntur alimonij: bi verò, qui in delicijs viuent, resoluta quidem corpora. & oneri cerè circumferunt molliora, & agmine quodam infirmatum repleta, quibusq; ad malorum cumulum maiorem, podagra tremor & inmatura senectus accedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graves, obtusi, & quodammodo iam sepulti, & si aliquid voluptatis, aliquid jucunditatis habent, quis hec jucunda & grata dicat? voluptas enim definitur, cùm quis fruitur desiderijs suis: Ubi verò desiderijs suis frui non potest, quia aegritudo non finit, vel satietas ipsa desiderari non facit, quia onerosa efficit abundantia, sine dubio voluptas & jucunditas eis periret. Deniq; considera agros, qui fastidio perurgentur, quomodo quamvis suaves eis & lauti apponantur cibi, horrori tamen magis eos accipiunt, quam voluptati; sic ergo cùm per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter voluptas & jucunditas perimitur; quia non tam ciborum gratia, quam desiderij gignit satisfactio voluptatem.

X.

Iudic. 4. 19.

Cic. lib. 3.  
Tusc. q. 4.

Adstipulantur huic sancto viro, ipsi etiam alioqui delicijs & satoritati, ab ineunte ætate, assueti, qui experientiâ aliquando docti famem stimque laudare didicerunt. Sisara princeps exercitus Iabin, militaris animus, & fortasie æquè poulis, ac hastis certare solitus, certè vino & cōuiuijs innutritus, de fuga & stuans, non dubitauit à Iahel, muliercula Hebræa, aquam mendicare. Da mihi, obsecro, inquit, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere. Hic haustus illi nectar fuit, quem alias vitulorum, aut rusticorum potam appellauisset. Marcellinus scribit, Constantium Imp. superatum à Persis, frusto panis à quadam vetula porrecto inediā repulisse. Apud M. Tulliū Darius ipse in fuga, cùm aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibisser, negauit vñquam se bibisse jucundiū. Numquam Erasm. lib. 5, autem, vel perrardò sitiens biberat. Quod etiam Artaxerxi legimus euenisse, cui iam siti deficienti, Peribarzanes eunuchus, cùm aliud non liceret, à rustico quopiam sordidum utrum detulit, puris aquæ cotilas octo continentem: eam aquam, cùm rex ebibisset, se numquam vinum potasse jucundius, nec ullam aquam, quamvis purissimam, sibi vilam suauorem, confessus est. Queruntur

runtur multi de cereuisie & vini vilitate, obuium illis posuit re-  
medium natura. Optimum potionis condimentum est sitis.

Quemadmodum & cibum omnem fames reddit sapido-  
rem. Gulosi non famelici fuerunt illi, qui cælesti dape fastidi-  
ta dixerunt: *Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nau-* XI.  
*seat super cibo isto leuissimo.* Gula est, luxus est; non vera fames,  
quæ inter cibos discernit; immò stultitia est, quæ manna rejicit,

& coturnices petit. Fames seria mucidum panem pluris facit,  
quam saturitas crustula è faccharo confecta. Artaxerxes ut vim Plutarch. in  
sitis, ita & famis expertus, cum in fuga quadam direpto illius Reg. & Imper.  
commeatu, aridis ficiis, & hordeaceo pane vescetur: *Dix boni,* Apophtheg.

*inquietabat, cniusmodi voluptatis haerentia inexpertus fuit.* Ad eum-  
dem modum Proloemæ Lagi F. cum peragranti Agyptum, co-  
mitibus non consecutis, cibarius in cala panis datum esset, ne ga-Cic. lib. 5.

uit illum cibum vñquam sibi visum suauorem. Aderat enim  
opiam condimentum fames. Panormitanus auctore est, Al-Tutul. q. 9.

phonsum, cum videret rusticum quemdam humi prostratum vras  
auidè comedere, ad suos conuersum dixisse: *Vtinam mihi isto otio* Panormit.  
*comedere Dix dedissent!* Quod etiam D. Augustinus optavit, cuius lib. 1 de reb.

hæc sunt verba: *Transiens per quemdam vicu Mediolanensem, animo-* gestis Al-  
*aduerti pauperem mendicum, iam credo saturum, jocantem atq; la-* phon.

*tantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum e-  
rant, multos dolores insaniarum nostrarum, quia omnibus talibus co-*

*natus nostris, (qualibus tunc laboravam, sub stimulis cupiditatibus  
trahens infelicitatis mea sarcinam; & trahendo exagerans) nibil vel-*

*lemus aliud, nisi ad securam latitiam peruenire, quò nos mendicus ille  
iam præcesset, numquā illuc fortasse venturos. Quodenim tā ille pa-*

*culis & emendicatis nummulis adeptus erat ad hoc egrotarum nostris  
anfractibus & circuitibus ambiebam, ad latitiam scilicet temporalis  
felicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed & ego illis ambi-*

*tionibus multò falsius quarebam. Et certè ille latabatur, ego anxius  
eram: securus ille, ego trepidus. Et si quisquam percunstaretur me,* S. Augustin.

*utrum mallem exultare, an metuere: responderem, exultare. Rursum,* lib. 6 Con-  
*si interrogaret, utrum me talem mallem, qualis ille, an qualis ego tunc* fess. cap. 6.

*essem, meipsum curis timoribusq; confessum eligerem, sed peruersitate;* F  
*numquid veritate? neq; enim eò me præponere illi debebam, quò doctior  
eram: quoniam non inde gaudebam, sed placere inde quarebam homi-* nibus,

IX

nibus, non ut eos docerem, sed tantum ut placerem. Hæc Augustinus de mendiculo latante, & ludente, quod ei cibatio mucidi panis voluptaria fuisset; quemadmodum & alijs luxus & luxuria est in cruciamentum. Nam fragili corpusculo nostro, ipsa voluptates in tormenta vertuntur, teste Seneca, Epula cruditatem afferunt, ebrietates neruorum torporem tremoremq; libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes.

## XII.

Seneca, ep. 24.

Cic. lib. 4.  
epist. ad At-  
ticum.

Erasm. lib. 4.  
Apophtheg.

S Hieronym.  
ad Marcellū.  
epist. 54.

Sabbato ante  
Dominic. i.  
quadragesi-  
mæ in Missa.  
S Basil de  
jejunio, orat.  
2.

Habemus ergo, famem sitimque corporibus humanis esse necessariam, vtilem, atque ita molestam, ut tamen plurimum faciat ad oblationem cibi & potus percipiendam. Quid quod & corporum vitia sanet, & animorum? Multi sanè crapula discenti, multi fastidio afflicti, non citius redeunt ad sanitatem, quam si diæta currentur, ad quam ipse Cicero, cum chirurgia tæderet, se conuertit. Iulius Cæsar dicere solebat, sibi idem esse consilium aduersus hostem, quod plerisque medicis contra morbos corporum, fame potius, quam ferro superandos. Nam medici, non, nisi tentatis omnibus, ad sectionem descendunt. Hic mos & hodie manet apud Italos: aduersus omne morbi genus indicunt inediam. Naturæ enim proprius calor abundantes consumit humores, unde morbi existunt. Qua de causa, etiam sanitatis habita ratione, post pigram hiemem, & hibernos menses Nos, ut loquitur S. Hieronymus, unam quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus. Est enim tempus illud animæ corporisque saluti comparandæ, maximè congruum. Vnde Ecclesia ita voluit orari sub initium verni jejunij: Adflo, Domine, supplicationibus nostris, & concede: ut hoc solempne jejunium, quod animis corporibusq; curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus. Quò etiam al ludit D. Basilius, dum ait: Jejunium per omne tempus utile est his, qui illud suscipiunt, &c. sed multò magis, hoc tempore, quo per universum terrarum orbem vndiq; denuntiatur jejunij præconiū. Multò magis hoc tempore, ait, quia præceptum est eo tempore: quia eo tempore, ad meditadim Christi Redemptoris Passionem & mortem, per jejunium, præparamur; quia eo tempore ipsum quoque corpus multis superuacuis humoribus, per hiemem collectis, vtiliter jejunando exinanitur; quia deniq; vernum tempus tentationibus

tionibus carnis est infestum. Venere tunc, & Cupidine incipiente connubia serere, juxta illud Poëtæ Vere nubunt alites; magis igitur tum caro castiganda, & in freno habenda est.

Catull in  
Perugil.

Atque hinc apparet, auctam è jejunio famem, non solum corpori prodesse, sed etiam seruire ad cohibendos intemperantes animi motus, & cupiditatis malæ domandam rebellionem. Sine fame enim jejunia non sentiremus; nec difficile esset, sine appetitu cibi aut potus, esse temperantem. Quin & multa aspernaremur, à Deo ad nos alendos condita, nisi ea nobis fames commendaret, faceretque pretiosa. In quam rem fabula illa extat. Delicatus quispiam & gulæ ventriqué deditus, cùm numquam fameret, tantum ea ori admouebat, quæ palato blandiebantur, non quæ stomacho erant utilia. Accidit aliquando, ut ad lauitias epularum, in rus inuitaretur, quod abesse ab urbe longius. Ut ergo aliquando è cibis voluptatem caperet, integrumque ad conuiuum famem efficeret, pridiana cœna abstinuit. Summo manè surgit, ne serus hospes ad amicum veniat. Dum proficiuntur, spe singularum lauitiarum & opiparè instructarum dapum, per siluam transit, ibi nocturno vento nimboque deiecta pyra, magno numero reperit sub arbore jacentia; quæ ita spreuit, ut ea etiam per contemptum lotio aspergeret. Sed, ut saepe consilia temerè præcipitata, præsumptio cogit retractare, ita & huic evenit. Cùm enim riuus, quæ fuerat transiendum, ea nocte, subitò, ad tantam altitudinem excreuisset, ut cum manifesto vitæ discrimine ille se aquas ingressurum intelligeret, impransus longiore via redire, tristisque coactus est. Itaque post creptam spem copiosi cibi, tam longum jejunium tolerare insuetus, acerimè esuriuit. Nullum erat in eo itinere hospitium, ad quod diuertere, nulla domus, in qua latrantem stomachum & talem injuriam ferre non solitus placaret. Itaq; cùm ad pyra siluestria, quæ dudum rore nō cælesti irrigauerat, venisset, magna auiditate collecta detersaque arrosit; perspicuo documento fastidij & contemptus, cuius mortales justissimas dant pœnas, dum coguntur apperere & amplecti, quæ paulò ante spreuerunt, & abjecerunt. Gulosus hic contemptor, ut modestus fieret, & vili apparatu disceret esse contentus, non alia re melius, quam fame potuit domari.

XIII.

domari. Fames ergo virtutum est magistra; quamquam & ipsa magistris indigeat, ne sit occasio viciorum.

## XIV.

S. Augustin.  
lib. 10. Confess. cap. 33.

Quod nemo accuratius obseruavit D. Augustino, qui Deum ita alloquitur: *Est alia malitia diei, qua utinam sufficiat ei! Reficiunt enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo prinsq; a scis & ventre destruas: cum occideris indigentiam meam, saretute mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna.* Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, ne capiar, & quotidianus bellum gero in jejuniis, sapientis in seruitudinem regens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & pietis, quidam dolores sunt. Vrunt, & sicut febri necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quae quoniam presto est ex consolations manerum tuorum, in quibus nostra infirmitas terra & aqua & calum seruant, calanitatis delicia vocantur. Hoc me adest, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumptuarii accedam. Sed dum ad quietem saetatis ex indigentia molestia transeo, in ipso transitu mihi infidiatur laqueus concupiscentiae. Ipse enim transitus voluptas est: & non est alius, quam transierat quam quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibundi, adiungit se tamquam pedissequa, periculosa jucunditas. & plerumq; preire conatur, ut eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusq; est. Nam quod salutis satis est, delectationi parum est. & sepe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditas fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum bilare sit infelix anima, & in eo preparat excusationis patrocinium, gaudens non appare quod satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbres negotium voluptatis. His temptationibus quotidie conor resistere, & in uno dextram tuam ad salutem meam, & ad te refero astus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem jubantis Dei mei: Non grauenetur corda vestra in crapula & ebrietate.

## XV.

2. Paral. 6. 26.

In Annalibus Francor. An. 819.

Ne igitur grauenetur, aut si hoc pacto grauata sunt, ut plestantur, Deus aequissimo iudicio sterilitatem famemque procurat, scilicet, si clauso calo, plus uia non fluxerit propter peccata populi. Quod & olim, tempore Prophetarum, & postea sapientius factum legimus. Immò ut artes Dei in diversa potentes sciamus, Anno Domini 819, non ob siccitatē, sed propter iuges pluuias, & aërem humore nimio resolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & homi-

& hominum, & boum pestilentia, tam immaniter longè lateque  
graffata est, ut vix villa pars torius regni Francorum ab hac peste  
im munis & intacta posset inseniri. Fumenta quoque & legumi-  
na imbrum afflictitate corrupta, vel colligi non poterant, vel  
collecta computescabant. Vinum etiam, cuius parvus prouentus  
eodem anno fuit, propter caloris inopiam, acerbum & insuave-  
siebat. In quibusdam vero locis, ex inundatione fluminum, aquis  
in pleno stagnantibus, autumnalis satio ita impedita est, ut pe-  
nitus nil frugum, ante vernum tempus, seminaretur. Quoniam  
igitur aliqui nulla pietate possunt adigi, ut jejunia sponte assu-  
mant ad gula appetitum refranandum, adiunguntur necessitate,  
dum eis à Deo alimenta subducuntur.

Acque, ut video minus in fame demni, minus luctri esse in XVI.  
satuitate, duos Sanctos audi. Quid Paulo fames, ait Chrysost. S. Chrysost.  
Hermes, quid frigus, aut nuditas, quid verbera, quid saxa nocuerunt? tom. 5. Her-  
quid detrimenti in naufragijs? quid in profundo mari passus est? nonne mil. quod  
per manus idem semper Paulus? immo fames, & haec omnia illum  
ad nuptias Agni & caelestes epulas promouerunt. Beda cum Bri- tur, nisi à te  
tonum famem vexationemque hostilem retulisset, haec narravit.  
Cessante autem vastatione hostili, tantis frugum copijs insula, quantis cap. 14.  
nulla retro atas meminit, affluere coepit, cum quibus & luxuria crese-  
re, & hanc continuo omnium ines scelerum comitari acceleravit: cru-  
delitas praeceps, & odium veritatis amor, mendacij: ita ut si quis eo  
rum mutior, & veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi  
Britannia subuersorem, omnium odia telaq, sine respectu contorqueren-  
tur. Et non solum hac seculares viri, sed etiam ipse grec Domini,  
eiusq, pastores egerunt, ebrietati, animositati, litigio, contemptioni, in-  
uidia, ceteraq, huiusmodi facinoribus sua colla, abiecto leui jugo Christi,  
subdentes. Interea subito corrupta mentis homines acerba pestis corri-  
puit, qua in brevi tantam eius multitudinem stravit, ut ne sepeliendis  
quidem mortuis viui sufficerent: sed ne morte quidem suorum, nec ti-  
more mortis, hi qui supererat, à morte anima, qua peccando sterneban-  
tur, renocari poterant. Unde non multò post acrior gentem peccatri-  
cem ultio diri sceleris secuta est. Initum namq, est consilium, quid a-  
gendum, ubi querendum esset praesidium, ad evitandas, vel repellendas  
tam feras, tamq, creberrimas gentium Aquilonarium irruptiones:

F 8 placuit q,

placuitq; omnibus cum suo rege Vortigerio, ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent. Quod Domini nutus dispositum esse constat, ut veniret contra improbos malum, sicut endeuinus rerum exitus probauit. Nam gens ad auxilium vocata Britones expugnauit, quos propugnatura sperabatur. Huc abundantia & saturitas, per scelera, populum duxit. Hæc altissima sunt diuinæ prouidentiæ consilia, ut inde utilitas veniat, quod tamquam malum timetur; & inde exitum, quod velut inter optimæ solet bona numerari.

## C A P V T V.

*Non solum Prudentiæ, sed etiam bonitatis & justitiae diuinæ iudicia aquissima in fame contineri.*

I.  
Odys. μ.

Plato lib. 3;  
de repub.

AEGid. Cor-  
rozetus de  
dictis & factis  
mem.

Matth. 4.2.

**H**X Homericæ Odysseæ fabulis, sententia olim cantionibus, apud veteres, celebrata est ista:

*Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,  
At perisse fame, rei una miserrima longè est.  
Plato refert, hoc carmen veluti pestilens moribus adolescentum, quibus utique, belli tempore, aut alterius honesti gratia, nulla mors sit misera, quæ oppetitur. Quin alios si audiamus:*

*Fames magistra est artium complurium.  
Hæc artem jaculandi docet eos, quibus panis non datur, nisi sagitta dejectus. Hæc lepido inuento escam sportulamque impetravit. Plebeius quidam Alphonsum Aragonum regem suppplex accedens, ære alieno, ô rex, inquit, opprimor, iam inde à parentibus in me deriuato. Creditoris rapacissimi & injustissimi exactionibus quotidianis atteror. Detestante id factum regem: Venter hic mous est, respondit. Rex ingenio hominis delectatus, non indonatum dimisit. Nimirum Ingenium mala sepè mouent. Eadem etiam fames, affuetudine longa, homines abstinentiæ facit tolerantes: tum quia etiam, ut ostendimus, ex virtute atque jejunio sponte suscepto oritur. Quo pacto & Christus, cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurit. Adde, quod fame etiam extraordinaria trahat Deus homines ad fidem & agnitionem rerum diuinarum, ad preces, & rectam fiduciam.*